



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiaë, 1674

Caput III. In honorem dolorosæ Virginis recitandæ litanis de ejusdem doloribus; Rosarium 5. dolorum præcipuorum, & quædam annexæ preces plenæ solatiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

CAPUT III.

*In honorem dolorosæ Virginis recitanda lita-
niæ de ejusdem doloribus ; Rosarium 5. dolo-
rum præcipuorum , & quædam annexæ
preces plenæ solatiis.*

QUOD de omnibus Christi cultori-
bus, & electis affirmat Christus, eos
in mundo pressuram habituros, id enim
vero singulari quodam modo electo-
rum omnium primæ competit Mariæ,
ut non obscure hæcenus vidisti Parthe-
nophile, ipsius siquidem tota vita mo-
lestiis, ærumnis, periculis & afflictioni-
bus referta fuit, ut virtus ejus eximia
magis magisque commendaretur, & eo
in cælis esset beator, quo graviolem, &
frequentiolem in terris crucem pro fi-
lio, & cum filio sustinuisset. Ambo sa-
ne & filius, & Mater de torrente in via
biberunt, & propterea inter, & supra
cœlites omnes extulerunt caput, sta-
tumque tristissimum, ac luctuosissimum
cum longelætissimo regno, & sempiter-
no gaudio commutârunt. Hæc ante
præsentem devotionem præfari libuit

Parthenophile, quibus te excitarem, ut filiale pietatis officium exerceas, flens modo cum flentibus Jesu & Maria, quo aliquando gaudere similiter cum gaudentibus in cælo possis; Non enim stultos, & stupidos, sive ab omni pietatis, & humanitatis sensu alienos, sed clementes, compatientes, faciles & sui similes amant Jesus & Maria, qui eorum laboribus & doloribus perinde, ac suis indoleant. Et de præmio quidem compassionis infra dicam, nunc in quibus potissimum compatiaris, duobus modis proponam: dolores litaniarum in modum Virginis propositos; tum rosarium perbreve quinque duntaxat decadem, ut si tempus vacet, singula; sin minus unum saltem pietatis exercitium dolorosæ Matri persolvas.

Litaniæ de Dolorosâ Virgine
Maria.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christi audi nos.

Christe

Christe per Matrem tuam dolorosam exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
S. Trinitas unus Deus.

Per Virginem
dolorosam misc-
rere nobis.

S. MARIA Mater dolorosa.

S. Maria prægnans omni hospitio & ope in Bethlehem exclusa.

S. Maria videns recenter natum filium omnibus aëris injuriis expositum.

Quæ infantulum dierum octo lapideo cultro circumscidi, & primo sanguinem fundere vidisti.

Tristi senis vaticinio doloris gladio perfossa.

Abiens in Ægyptum, ibique cum JESU filio & sponso Josepho plurima aspera perferens.

Dolens ob amissum triduo in templo filium.

Ex captivitate, & morte S. Joannis Præcursoris Domini afflicta.

Ex obitu dilectissimi sponsi Josephi ingemiscens.

Mœrens ob gentis Judaicæ incredulitatem & pervicaciam.

Anxia propter odium, & insidias principum in Jesum.

Gemens & præscia brevi rapiendum filium ad crucem.

Medullitus illacrymans cum filius tibi valediceret,

Sancta MARIA Dolorosa.

Ora pro nobis.

Quæ ingenti mœrore filium triginta
argenteis venditum percepisti.

Quæ eundem solum relictum à disci-
pulis, & à Judæis captum audivisti.

Quæ intimo doloris sensu, toto cor-
pore flagellis lacerum conspexisti.

Quæ Deum filium tuum impio latro-
ni posthaberi cognovisti.

Quæ corde dissecabaris cum clama-
rent Judæi: Crucifige, crucifige.

Quæ regem regum, & Dominum Do-
minantium aculeis & spinis corona-
tum vidisti.

Quæ æterni Patris sapientiam stulti
in modum alba veste illudi conspe-
xisti.

Quæ gementi sub crucis durissimo
onere, sæpiusque prolapso filio tri-
stissima occurristi.

Quæ eundem dilectissimum tuum fi-
lium, inter gemitus cordis, & innu-
meras lacrymas ad montem Calva-
riæ comitata es.

Quæ filium pudicissimum vestibus nu-
dari, & illudi vidisti.

Quæ eundem felle, & aceto potari, &
blasphemari cognovisti.

Quæ inter sanguineas lacrymas filium
tuum cruci affixum clavis, & velut
leprosum ac novissimum virorum,
& percussum à Deo intuita es.

Sancta MARIA Dolorosa.

Ora pro nobis.

Quæ

Quæ tibi Joannem in filium, teque in Matrem Joanni ab agonizante filio dari audivisti.

Doloris gladio faucibus, cum audires à filio Deus meus, ut quid me dereliquisti.

Horrore & dolore plenissima tui dilecti contemplans passionem, & vulnera.

Extremis affecta tormentis, cum animam filii in manus Patris morte transmitti advertisti.

Cujus benedictam animam tum varius doloris gladius pertransivit.

Vulneribus undiq; lividum, & ex sanguine dilectissimi filii corpus de cruce excipiens.

Sanguine ac vulneribus perfossum corpus filii materno gremio excipiens.

Eisdem SS. vulneribus concretum sanguinem sanguineis lacrymis abstergens, eademque mortis dirissimæ signa, summo animi dolore, & reverentia exosculans.

Mœroribus gravis, eundem filium ad sepulchrum comitans.

Instar turturis tristi gemitu per triduum solitaria ingemiscens.

Mater Jesu crucifixi.

Ut in omni tribulatione & angustia nostra nobis succurrere digneris. Te rogamus audi nos.

Ut nos ab omni peccato mortali præservare, & eripere digneris. Te rogamus audi nos.

I 3

Ut

SANCTA MARIA DOLOROSA.

ORA PRO NOBIS.

ORA PRO NOBIS.

Ut animas in igne purgatorio detentas tuis precibus liberare digneris.

Ut morborum molestias in nobis lenire digneris.

Ut in conscientia molestis angustiis, erroribus, scrupulis, & perplexitatibus nos adjuvare digneris.

Ut in hora mortis nostræ nobis tuo patrocinio adesse digneris.

Ut inter mortis angustias materno tuo favore consolari digneris.

Ut animas nostras agoni proximas tuo filio commendare digneris.

Ut jugem Passionis filii memoriam in nobis impetrare, & conservare digneris.

Ut post hanc vitam Jesum benedictum fructum ventris tui nobis propitium monstrare digneris.

Per acerbissimos dolores tuos.

Per crudelissimam passionem filii tui.

Per salutiferam mortem ipsius.

Per sanctissima vulnera ipsius.

Per tristissimam sepulturam ipsius.

Per omnem compassionem Tuam, S. Joannis Evang. S. Magdalena & reliquorum sanctorum, qui passioni filii tui interfuerunt, & condoluerunt.

Mater Dei dolorosa. Te rogamus audi nos.

Agne Dei pro peccatis hominum in monte Calvaria occise. Parce nobis Domine.

Agne Dei pro peccatis nostris vulnerate & crucifixe, Exaudi nos Domine.

Agne

Te rogamus audi nos.

Agne Dei pro peccatis nostris sepulte. Miserere nobis.

Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

ψ. Tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris.

℞. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

Interveniat pro nobis Domine JESU Christe nunc, & in hora mortis nostræ apud tuam clementiam B.V. Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora passionis tuæ doloris gladius pertransivit. Per Te pie Jesu, qui cum Patre, & S. Spiritu vivis & regnas in sæcula sæculorum.

His litanis cum fervore, & compassionem perlectis, ordieris rosarium, sive potius tertiam partem Rosarii, quod ortum habet à S. Patriarchâ Dominico, illam scilicet, quam dolorosam vocamus. Ita ut in prima quidem decade, ad illa verba: *Benedictus fructus ventris tui Jesus. Subnectas ista: Qui pro nobis in horto sanguinem sudavit, & captus est.*

I 4

Par-

Parthenophile, poteris hujus in decursu decadis varia & illustria meditationis habere argumenta. Ut 1. quod Christus sponte pro te, tuisque peccatis morti se crudelissimæ objecerit. Ut tu ejus causa, & gloriæ amplificandæ studio nullum periculum subterfugas. 2. Cœpit pavere, tædere, & mœstus esse; positus genibus oravit, & factus est ejus sudor sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Lucæ 22.* Ut discas spernere amore Jesu patientis, & compatientis Virginis terrena gaudia, affligere corpus, supersedere vanis tripudiis, attentè, & flexis genibus orare; & si quid etiam sic orans non impetres, non irasci, aut conqueri, nondum enim sanguinem fundis, sicut tuus Jesus. 3. Ut per agoniam Christi roges felicem mortem. Sicut S. Carolus Boromæus dum in imaginem, in qua hæc agonia expressa fuit aspiceret, & in ejus contemplatione fixus detineretur, cum summo suo salutaris, expiravit. *ejus vita.* S. quædam abbatissa erga passionem Domini mirifice affecta, tunc expirasse legitur, & recta in cœlum

coelum evolâsse, cum hic illi agon præ-
 legeretur. *Justus Pol. 4.* poteris perpen-
 dere dolorem Virginis in Christi com-
 prehensione, quam ei, verisimiliter S.
 Joannes annuntiavit commoranti in Be-
 thania. Fuit enim hic nuncius tanti
 doloris causa, quantum humana mens
 non satis potest percipere. Amittebat
 enim Virgo talem filium, qualis nun-
 quam existit. Unde cum nunquam ex-
 stiterit talis nec Mater, nec filius; ita
 nunquam talis visa est magnitudo dolo-
 ris. Et si plorabat Rachaël filios suos,
 noluitque consolari, eo quod non sint,
 sed capti ab Herode, tu cogita, quid de
 Matre Domini sentiendum.

Ubi in secunda decade deveneris ad
 ea verba: *Benedictus fructus ventris tui Je-
 sus.* Subjunges ista: *Qui pro nobis flagellis
 cæsus est.* Porro in decursu hujus deca-
 dis, varia rursus animo doloris excita-
 menta poteris pertractare. *J.* summam
 ignominiam Christo illatam, cum castis-
 simus, verecundissimusque, filius Vir-
 ginis, coram spurcissimis nebulonibus
 omnino nudus statueretur; quam ille

nuditatem libenter tuus *Jesus Parthenophile* pertulit, tum ut eam tegeret, quam post lapsum *Adamus* advertit; tum ut tibi, tuæque nuditati incuteret verecundiam. 2. Duritiam, & crudelitatem verberum in tenerrimo corpore poteris considerare. Congregavit, inquit *Evangelista Matth. 27.* *Pilatus* universam cohortem, quæ (si historicis credimus) constare solebat sexcentis sexaginta sex militibus, quorum quilibet ictus inflixit, idque lege adactus, ut scribunt aliqui, ne unus altero melior haberetur; aut certe more militari, sicut dum quis gladiis sociorum necandus est, suum singuli enses vibrent apud quasdam nationes, necesse est. Hinc tantus plagarum, & vulnerum ex ea flagellatione numerus. In *revelat. S. Brigittæ lib. 7. cap. 10.* adeo crudelis describitur, ut per eam costæ tui *Jesu* nudarentur. *S. Vincent. Ferrerius serm. de pass. D.* tot plagas *Jesum* asserit multatum, quot sunt totius corporis ossa, quorum sunt ex medicorum sententia ducenta septuaginta sex; singulis autem

tem

tem ossibus ictus tres impactos fuisse. Bonavent. dicit *de Pass.* Christum quinque millia plagarum, vulnera vero 5676. ex flagellatione suscepisse. S. Gertrudis *lib. 4. divin. instin. cap. 35.* refert fuisse 5400. Joannes Aquilanus *de amara Christi passione* Divo Bernardo revelatum, ait, Dominum Jesum 6066. percussiones accepisse. Quæ quidem sententiæ facile componi possunt, si circumstantiæ temporis, loci, aliæque nonnihil accuratius examinentur. Certum tamen est, ut ut sit, gravissimam fuisse flagellationem, cum Propheta dicat: *supra dorsum meum fabricaverunt, alii legunt, araverunt peccatores. 3.* Quæ mens hic Matri tuæ Virgini, quæ hæc præsens spectabat? uti tradit Aug. *lib. med. cap. ult.* Anselmus *opusc. de pass. Dom.* Et revelationes S. Brigittæ *lib. I. c. 10.* O mœstissima Mater mea (procumbe mecum in genua Parthenophile) quis tibi tum sensus erat, videre filium à tanta carnificum multitudine, nudum, ad columnam alligatum flagellari? O Jesu! O Pater cœlestis! O Mater! O miseran-

I 6 dum

dum cor Matris! estne tibi tantum spaci-
 um, ut 5475. vulnera excipias? *revel.*
S. Brigitt. Et tamen excepisti. Doloro-
 sa Virgo duc & me ad Pilati palatium &
 columnam, ut una tecum videam Je-
 sum flagellari, sed amoris dolore ego
 moriar; supervixisti Tu amantissima
 Mater mea, quia gravioribus doloribus
 reservabaris.

Posteaquam in tertia decade perve-
 neris ad verba superius dicta *Benedictus*
fructus &c. subnectes ista: *Qui pro no-*
bis spinis coronatus, & illusus est. In hujus
 vero decadis decursu perpendere pote-
 ris sequentia: J. summam ignominiam
 Christo illatam, hic enim cum esset
 Rex gloriæ, cui omne genu flectendum
 erat in cælo, in terra, & inferis per sum-
 mum ludibrium, quasi stultus, & infam-
 is Regni terreni affectator explodi-
 tur; a lapis cæditur, & arundine, quam
 manibus ejus, sacratis, quibus cæ-
 lum & terram sustentabat, indiderant,
 eisdem rapta, sacro sanctum, & veren-
 dum ac tremendum angelis caput per-
 cutibant. Ut discas & Tu parthino-
 phile

phile acceptas injurias æquo Salvatoris
tui amore subinde animo perferre. 2.
Ingentem dolorem sacratissimi capitis
undique & undique spinarum acutissi-
mis aculeis, digitali longitudine imple-
xis, & invicem contextis perforati,
transibant siquidem spinæ furioso im-
petu impactæ, usque ad ipsa cerebri lo-
culamenta, ita ut sanguis per frontem,
faciem, oculos, vultumque, in quem de-
siderant Angeli conspicere, miserando
prorsus spectaculo deflueret. fuitque
hoc inauditum ante Martyrium tam
dolorosum, ut nisi divinitus sanctissima
Christi humanitas adjuta, & sustentata
fuisset, eo tormento exspirare debuisset.
Vide Parthenophile rursus an sub hoc
spinoso capite te deceat esse membrum
tam delicatum? 3. Intuere mæstissi-
mam Matrem tuam, & cogita, quis do-
lor, quis mæror, quis cruciatus cordis
ejus tunc erat, quando dilectissimum
filium suum horrendo illo spineo du-
meto redimitum, purpura ridicule
indutum, sceptrum arundineum in ma-
nu sua tenentem, ludibriis undique ex-

positum, a lapide cæsum, sputis conspu-
tum, & deformatum cernebat? O Mater
suavissima simul ac dolorosissima fac me
quæso consortem tanti tui doloris;
concede mihi puncturas istas, & acule-
os in corde & mente mea perferentescere!
age Parthenophile, amore Christi & Ma-
tris tuæ dolorosæ potius spineam,
quam auream cum senensi Catharinâ in
hac vita coronam elige.

In quarta decade superioribus verbis
ista subnectes: *qui pro nobis crucem ad
montem calvarie portavit.* considera in-
terim i. obedientissimum Isaac tuum
Salvatorem onustum ligno, super quo
immolandus erat, prout poterat ad
montem potrahentem, disce esse Deo
obediens, ejusque in manus resignatus
usque ad mortem. Vide qua alacritate
sæpius prolapsus, crucem tamen resu-
mere conetur, tanquam regium sce-
ptrum, nec in ipsa cruce positus eam re-
liquit, etsi audiret: *descendat de cruce &
credimus illi.* Nunquam tibi crux dese-
renda est Parthenophile, si cum Christo
voles regnare; dic ergo cum Andréâ:
Salve

Salve crux preciosa, jam diu desiderata, &c.
nec sis similis Cyrenæo, qui cogi debuit, ut crucem post Jesum portaret.
2. cogita posteaquam in mutuum conspectum venêre Jesus & Maria, Mater & Filius, & penetra, si potes, colloquia cordis utriusque, quibus se invicem affabantur. M. Tene ego conspicio fili mi IESU, meæ deliciæ, cor meum, Deus meus, & omnia? quis mihi hoc tribuat ut moriar pro te? *Iesus*: dulcissima Mater, venit hora, ut ex hoc mundo vadam ad Patrem, Ecce hic ille tibi prædictus à Simeone gladius animam tuam transverberaturus. Sed recede dilecta mea, tuis enim afflictionibus lancinor, recede columba mea, baptisma habeo baptizari, & vado illud perficere. M. fili mi dulcissime IESU, sine Matrem in amplexu tui tecum commori, quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, Deus IESU cordis mei. *Iesus* si ita lubet Mater mea, montem mecum conscende, offer holocaustum irato Patri, veruntamen dum morientem videris, corque tibi doloris gladio diffindetur,
sine

sine sic nos omnem implere justitiam, post tres dies iterum videbo te, & gaudebit cor tuum, & gaudium nemo tollet à Te. Heu, heu, heu Parthenophile! qualis ecclypsis inter solem Jesum, & lunam Mariam.

In quinta deinde decade reliquis addes ista verba: *Qui pro nobis crucifixus est, & mortuus:* Hic quid potissimum tibi considerandum præscribam nescio; omnia sunt plena mysteriis, sive cogites dolores Virginei corporis Christi; sive quod pro crucifigentibus se oret; sive quod Matri Joannem Iesus in filium donet; sive quod mortuali lectulo depositus aquæ haustulum expetat, nec obtineat, sive innumera alia, quæ pia compassio tibi suggeret, omnia consideratione, & imitatione dignissima, suadeo tamen ut inter cœtera consideres ea verba Joannis *Stabat juxta crucem Iesu Mater ejus:* ubi in extrema desolatione heroicam fortitudinem Virginis deprædicat Evangelista, tibi in exemplum, ut inter adversa quæ libet Jesu & Maria innixus, divina providentia, & volun-

luntate confusus, nunquam despondeas
animum, sed semper stes erectus, me-
mor te tantæ heroinæ non degenerem
filium. O dulcissime Jesu da mihi ut
nullus dies abeat, quin passionem, &
mortem tuam recolam, ejusque præser-
tim in hora mortis particeps efficiar.
O mœstissima Mater impetra mihi, per
dolores filii, & tuam compassionem
quotidie memori, tecum cum cruce li-
benter stare, cum filio tuo crucifigi, &
tecum ac cum eodem æternum vivere.

Sequitur oratio devotissima, quam re-
fert Hortulus animæ impressus Lug-
duni Anno 1516. Kalend. April. &
additur: qui cunque eam triginta
diebus devotè dixerit in honorem
SS. passionis Jesu Christi, & in ho-
norem B. V. quæcunque licita petiê-
rit, impetraturum. qua authoritate
non additur.

SANCTA MARIA perpetua Virgo Vir-
ginum, Mater misericordiæ, Mater
gratiæ, spes omnium desolatorum, con-
solatrix omnium desperantium; per
illum

illum gladium doloris, qui tuam pertransiuit animam, dum unigenitus filius tuus Dominus noster Iesus Christus supplicium mortis pateretur in cruce. Et per illum filialem affectum, quo ipse materno dolori compassus, integerimæ dilectionis suæ Vicario Sancto Iohanni Te providendam commendavit, compatere, condole, consule quæso anxietati, aduersitati, infirmitati, paupertati, solitudini, & qualicunque necessitati meæ. O miseratrix miserorum; O dulcis consolatio afflictorum, ac Mater misericordiarum; desolatorum piissima consolatrix, & in omni necessitate pupillorum prompta adiutrix! Ex audi ergo preces meas, & respice orbitatis meæ, & miseræ lacrymas. Et quia in diversis malis, & angustiis propter peccata mea positus sum, ignoro ad quem fugiam, nisi ad Te Dominam meam dulcissimam Virginem Mariam, genitricem Domini nostri Iesu Christi, conformem, ac consimilem, ac reformatricem humanitatis nostræ. Ergo aures tuæ pietatis sive consuetæ miser-

leri-

fericordiæ tuæ precibus meis benigne accommoda. Per viscera misericordissimi filii tui; per dulcedinem quam tuæ habuit, quando humanum genus amplexatus est, ut deliberaret una cum Patre & Spiritu Sancto carnem pro nostra salute assumere fragilem; & Angelo annunciante, & Spiritu Sancto obumbrante de te piissima Virgo MARIA incarnatus est; & novem mensibus in tuo sanctissimo utero clausus, Deus & homo gestatus est; ac discursis novem mensibus Spiritu Sancto cooperante gloriosam aulam tui virginalis uteri egrediens, non aspernatus est visitare mundum. Per angustiam, quam idem filius tuus Dominus noster Iesus Christus habuit, quando in monte Oliveti Patrem invocavit, ut si fieri posset, transieret ab eo calix passionis suæ. Per trinam orationem ejus: per tristem quoque incessum tuum, quo secuta es eum cum lachrymis ad crudele spectaculum passionis ejus, & mortis. Per probra, sputa, colaphos, irrisiones, falsas accusationes, & judicia injusta; per vestem

vestem sorte, & ludo acquisitam; per
 vincula, & flagella ejus, per trinas la-
 chrymas ejus, per guttas sanguinei su-
 doris ejus, per patientiam, & taciturni-
 tatem illius, per pavorem, & tædium, &
 mœstitiâ cordis ejus. Per verecun-
 diam, quam habuit, quando denudatus
 est in cruce, & coram Te, piissima Vir-
 go Maria, omnique populo perpendit.
 Per regale caput ejus arundine conquisi-
 tum; per spineam coronam ejus; per
 sitim, & gustum aceti cū felle mixti. Per
 lanceam infixam sacratissimo lateri ejus
 per sanguinem, & aquam, quæ de la-
 tere profluxerunt, & misericordiam &
 gratiam super nos abundantes effude-
 runt, per clavos infixos manibus, & pe-
 dibus ejus; per commendationem ejus,
 quâ Patri suam preciosissimam animam
 commendavit; Per dulcissimum spiri-
 tum ejus, quem cum clamore valido,
 clamando Heli Heli Lamafabathani. Et
 inclinato capite emisit spiritum dicens:
 Consumatum est. Per scissuram veli in
 templo, & terræ; per obscurationem
 solis & lunæ; per tremorem terræ; per
 misericordiam ejus factam in latrone;
 per

per crucem, & passionem ejus, per descensionem ejus ad inferos; Per omnes animas, quas adventu visitationis suæ lætificavit; per gaudium, & victoriam, & gloriam resurrectionis ejus; per apparitionem ejus, qua per quatragesima dies post resurrectionem Tibi præelecta Virgo Maria, & Apostolis; cæterisque electis apparuit, per gloriosam ascensionem illius, qua Te Virgine gloriosâ, & ipsis cernentibus in cælum elevatus est. Per gratiam Spiritus Sancti paracleti, quam discipulorum cordibus in lingvis igneis infudit, & per eos in toto orbe terrarum longè lateque diffudit; Per tremendum diem judicii, quo tempore venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Per omnem compassionem ejus tecum in hoc mundo participantis; per suavitatem osculorum ejus, per ineffabile gaudium, quo assumpta es in conspectum ejusdem filii, ubi gaudes & exultas sine fine; Lætifica cor mecum, & exaudi me in hac petitione mea, pro qua suppliciter exoro, & devote. (*hic profer petitionem tuam*)

Et

Et sicut certus sum, quod ille nihil tibi negans, te honorat; ita sentiam facilius, plenius, celerius, & efficacius tuum sanctissimum adjuvamen & consolamen, sanctissimam suavitatem misericordissimi cordis tui, & sanctissimam filii tui voluntatem timentium se, & delectantium in se, & petitionem cordis eorum, & summam necessitatem meam in his, & in omnibus rebus; pro quibus sanctissimum supplex invoco nomen tuum, & adjuvamen tuum, ut obtineas mihi apud Deum dilectissimum filium tuum in fide catholica, spem firmam, charitatem perfectam; veram cordis contritionem, fontem lacrymarum, sinceram confessionem, dignam ac sanctissimam satisfactionem, diligentemq; custodiam à peccatis, contemptum mundi, dilectionem Dei & proximi, flagella dilectissimi filii tui, in corpore meo immundissimo, veram patientiam ad omnia, quæ pro amore filii tui sunt sustinenda, etiam mortem turpissimam si oportuerit, executionem votorum, perseverantiam in bonis operibus,

mor-

mortificationem propriæ voluntatis, conversationem tibi placentem, felicem obitum, & in extrema hora vitæ meæ pœnitentiam vehementem, bonique sensus integritatem cum loquela Fratrum, & sororum, & omnium benefactorum meorum vivorum, & mortuorum vitam sempiternam, Amen.

Parthenophile, plura ista sunt, quam una forsan die obire possis; non moror, fac quæ potes; cœterum non ægre feras, toties dolorum Christi, & compassionis SS. Matris ejus te meminisse oportere; Res constat ingenti præmio. & ut concludam, scias piissimum virum nomine Sanchez ex ordine S. Francisci non aliud fere cogitare, aut meditari solitum, quam Dei Matris acerbissimos dolores, quos à doloribus filii sui olim capiebat; & ob eandem causam non aliter erat consternatus perpetuo quasi, quam si præsens Virgini dolenti adfuisset. Mercedem tulit ingentem, sæpe enim Consolatrix afflictorum, unâ cum Ioanne Evangelista teste scilicet dolorum Virginis sub cruce stan-

stantis; eundem ingenti cordis solatio
& gaudio invisit. *Ann. Mar. 13. Jan.*
O si vel semel hoc tibi obtingat, quam
amplo munere tuum obsequium erit re-
pensum. Sed ne tibi metuas; indigni
equidem sumus istâ in terris lætitiâ,
erit, cum post dolorum horum piam
memoriam, æternum cum Virgine, in
cœlis lætabimur.

DIES VENERIS.

Stabat autem juxta crucem Jesu
Mater ejus. *Joan. 19.*

CAPUT I.

*Magnitudo dolorum Beatissimæ Virginis
consideratur ex triplici amore erga
IESUM filium suum.*

Non ita rerum imperitus es mi Par-
thenophîle, quin noveris rebus
quibuslibet precium & æstimationem
imponi ab amore, amor scilicet judex
est, & censor valoris, à quo cujusque
rei dignitas dependet; hinc fit ut sæpe
res tantâ arte, ingenioque elaboratas,
à natu.